FACVLTAS ERIGENDI MONASTERIA

Ad propagandam ſidem deſtinata.



ROMÆ, M. DCVI.

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.

PAVLVS PP. V

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

TOtius terrarum Orbis cura Nobis (licèt insufficientibus ad tantum onus viribus) Diuina prouidētia commissa, ac pręcipuus, quo flagramus, Christianæ fidei per vniuersam terram propagandæ zelus nos impellunt, vt nihil ardentiùs desideremus, & iuxta Dominicum præceptum enixiùs obsecremus Dominum messis, quàm, vt mittat operarios in messem suam. Quamobrem magnopere gauisi sumus, cùm pium zelum dilectorum filiorum Religiosorum Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicæ, eiusdem Christianæ fidei incrementum summo studio affectare perspeximus. Quandoquidem (vt eorum nomine nobis nuper expositum fuit) ipsi Religiosi non solùm, vt iam cæperunt, ad conuersionem Infidelium, quocùmq; opus fuerit, se alacriter profecturos profitentur: sed etiam in generali Capitulo nuper ab ipsis celebrato, vt cępto operi validioribus viribus, ac maiori cum fructu incumbere possint: decreuerunt domos, & Monasteria erigere, in quibus ij Religiosi, qui ad huiusmodi messem aptiores videbuntur, diuersarum linguarum scientiā, & controuersiarum peritiam ad euertendos errores Hæreticorum, Saracenorum, Schismaticorum, Gentilium, & Iudæorum necessariam addiscere: & maioribus vigilijs, abstinentijs, orationibus, alijsq; virtutum exercitijs assuescere possint, ac meliùs tanto se operi disponant. Quod decretum, vt Nos Apostolica auctoritate confirmare, & illos Ecclesiæ thesauro spirituali alere, fidelesq; suis opibus temporalibus piè illis subuenientes, ne eorum eleemosynæ in alios vsus distrahantur, impositis censuris securos reddere dignaremur, humili postulatione supplicarunt. Nos igitur pium huiusmodi eorundem Religiosorum institutum plurimùm in Domino commendantes, ac illos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Decretum prædictum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus: ac eidem Congregationi Italicæ Fratrum Carmelitarum Discalceatorum, vt domos, seu Monasteria ad huiusmodi effectum in Vrbe, aut prope illā, & nūc apud Sanctum Siluestrum in Tusculano, & in quibusuis alijs Prouincijs, & locis, vbi Præposito, & Definitoribus visum fuerit, fundare liberè,

rè,

rè,& licitè possint,& valeant,licentiã,& facultatem cõcedimus. Et vt alacriores tãto operi se accingant: De omnipotẽtis Dei misericordia,ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, eisdẽ Religiosis, vt ijs diebus quibus à Superioribus destinati Monasterijs missionũ incorporati fuerint,& post annũ,aut aliud tẽpus à Pręposito definiendũ,pro maiori stabilitate professionẽ renouauerint, & votum ad Infideles (iuxta Superioris præscriptum) pergendi emiserint,& cùm inde ad missiones discesserint, & Prouinciam aliquam, ad quã pergunt, conuertendã ingressi, ad opus se accinxerint,sacramenta cõfessionis, & Eucharistiæ (si possibile fuerit) in prædictis diebus perceperint,Plenariam omniũ peccatorũ suorũ Indulgentiam,& remissionẽ misericorditer in Dño concedimus, & elargimur. Insuper,vt pij fideles,qui,vt tãti operis mercedẽ in ęternũ percipiãt, suis facultatibus illud iuuare decreuerint,securi reddantur,quòd eleemosynæ,quas ad hunc ipsi finẽ erogauerint,in hunc, & non in alios vsus cõuertentur,in virtute sanctę Obediẽtiæ;Superioribus omnibus,& alijs quibusuis Religiosis prædictæ Congregationis pręcipimus,vt ea,quæ fideles, Missionibus faciendis,& conuersione Infideliũ procurãda erogauerint, in hoc opere,scilicet in alendis Ministris,procurandis libris,ac Magistris, & alijs necessarijs tã pro Conuentibus prædictis , quàm pro Missionibus , & domibus,ac Ecclesijs in terris,ad quas mittentur, condendis, instruẽdis, ac alendis conuerti curent,& in alios vsus præter prædictos non distrahãt. Quòd si secùs fecerint, excõmunicationis maioris latæ sententiæ pœnã à qua non ab alio , quàm à Romano Pontifice (præterquàm in mortis articulo) absolui possint, incurrant eo ipso ; Et nihilominùs teneantur , quæ consumpserunt ad prædictum opus restituere , & ex bonis aliorum Conuentuum redintegrare. Non obstañ constitutionibus , & ordinationibus apostolicis , cæterisq; contrarijs quibuscũque . Volumus autem , vt præsentium transumptis , etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis , & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis,eadem prorsus fides adhibeatur, quę ipsis pręsentibus adhiberetur , si forent exhibitæ , vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Decembris M. D. C. V. Pontificatus Nostri Anno Primo .

M. Vestrius Barbianus.